



The Holy See

FRANCISCUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

LITTERAE DECRETALES

***QUIBUS BEATO NICOLAO A LONGOBARDIS
SANCTORUM HONORES DECERNUNTUR****

Quibus Beato Nicolao a Longobardis Sanctorum honores decernuntur

«Ad hunc Ordinem Minimorum, quadragesimalis vitae zelo et maioris poenitentiae intuitu migrare cupientes, ... recipiantur in fratres Clericos vel fratres Laicos aut fratres Oblatos ... » (Reg. IV, 2)

Vitam quadragesimalem desiderans maioremque disciplinam poenitentiae in vita sua appetens, Beatus Nicolaus Saggio a Longobardis adscitus est in Ordinem Minimorum. Haec duo allegerunt eum ad imitandum Christum dolentem et patientem. Exemplum igitur sequens sancti Francisci de Paula, Fundatoris Minimorum, ille culmen sanctitatis adeptus est.

Beatus Nicolaus (in saeculo Ioannes Baptista Clemens Saggio) natus est die VI mensis Ianuarii anno MDCL Longobardis prope Cosentiam in Italia. Inde a pueritia, agrum colebat cum patre suo. Anno MDCLXVIII, iunxit se ad ordinem saecularem Fratrum Minimorum Sancti Francisci de Paula et, nonnullis post annis, protoconventum eorum Paulae introivit. Vota sollemnia nuncupavit die XXIX mensis Septembris anno MDCLXXI. Variis deinde vixit in communitatibus, in quibus humillima opera agere solebat, velut sacristae, hortulani, infirmarii, coqui et mendici. Callebat pariter catechesim docendam, quod munus magni aestimabant pueri eorumque parentes qui, debita permissione concessa, contendebant ut filii sui veritates fidei a fratre Nicolao, Minimo, discerent. Ille coluit etiam amorem peculiarem erga pauperes, quorum necessitates et materiales et spiritales diligenter curavit. Hac de causa, inter alia officia suae communitatis, addidit ea indigentibus auxiliandi atque aegrotantes visitandi.

Anno MDCLXXXIII peregrinatus est a Roma ad Lauretum, obsecrans Dei misericordiam ut Vindobona totaque Europa christiana a militum Ottomanicorum insidiis liberaretur. Experientias mysticas saepe subivit, praesertim cum medigaretur mysterium Sanctissimae Trinitatis. Mense Ianuarius anni MDCCIX obtulit se tamquam victimam spiritalem pro Ecclesia, Deum deprecans ne Roma denuo spoliaretur. Dum noctu orabat, gelidissimo frigori ob nivem abundantem diu subiectus, inflammationem pulmonalem necnon pleuritem contraxit. Die III mensis Februarii anno MDCCIX, sacramentis corroboratus, imaginem Iesu Crucifixi osculatus est ac in Domino obdormivit. Fama sanctitatis, quae eum in vita circumdederat, magis per dies crevit, ita ut anno MDCCXVI Superiores Ordinis Minimorum petierint aperitionem causae beatificationis. Processibus canonicis, ordinariis et apostolicis rite peractis, emissum est Decretum de heroicitate virtutum die XVII mensis Martii anno MDCCLXXI et die II mensis Aprilis anno MDCCLXXXVI Decretum de agnitione duorum mirorum. Ritus beatificationis factus est a Pio VII Praedecessore Nostro, in Basilica Vaticana die XVII mensis Septembris anno MDCCLXXXVI.

In conspectu canonizationis, quaedam mira, ut dicitur, sanatio proposita est, quae in oppido natali Beati Nicolai est perpetrata in initio temporis aestatis anni MCMXXXVIII. Quidam iuvenis, XVIII annos natus, dum laborabat tamquam operarius manualis in ecclesia redintegrandam, sensum aequilibratae perdidit ob tabulatum sub pedibus obversum ceciditque de pegmate altitudine metrorum XII in congeriem arenae, caementi et lapidum acutorum. Hoc facto, subito surrexit et, suum corpus inspiciens, vidit se illaesum ac sine dolore de casu evasisse. Immo vero omnibus facultatibus pollebat, quamvis genu suum paulum in quadam trabe abraderit. Hic iuvenis nec sensibus nec facultatibus animi carebat dum cadebat, atque intercessionem Beati Nicolai, cui devotus fuit inde a pueritia, sua sponte invocavit ne gravi de casu laederetur. Ideo prorsus surrexit a terra validissimus vitamque suam statim resumpsit, neque damnis affectus neque explorationi medicae subiectus. Immo laborem resumere potuisset, nisi opificum praefectus illum persuasisset unum diem vacare antequam ad opus reverteretur. Diebus insequentibus, investigationes radiologicae nec trauma corporis nec vulnera cuiuscumque generis patefecerunt.

Inquisitio dioecesana acta est apud Curiam Archidioecesis Cosentinae-Bisinianensis a die XXIV mensis Maii anno MMVIII ad diem XV mensis Iunii anno MMIX, cuius validitas iuridica agnita est per Decretum a Congregatione de Causis Sanctorum promulgatum die XI mensis Martii anno MMXI. Consultores Medici eiusdem Congregationis die XIII mensis Decembris anno MMXII hoc factum scientifice inexplicabile declararunt atque Consultores Theologi iis annuerunt in Congressu Peculiari diei XXVIII mensis Novembris anno MMXIII. In Sessione Ordinaria die IV mensis Martii anno MMXIV, Patres Cardinales et Episcopi iudicaverunt effugium iuvenis a periculo verum esse miraculum divinitus patratum. Ideo Nos, in Consistorio diei XII mensis Iunii anno MMXIV canonizationem eiusdem statuimus, cuius sollemni celebrationi Nos Ipsi praesedimus in Basilica Petriana die XXIII mensis Novembris anno MMXIV.

Hodie igitur hanc formulam inter sacra protulimus:

Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et vitae christianae incrementum, auctoritate Domini nostri Iesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione praehabita et divina ope saepius implorata, ac de plurimorum Fratrum Nostrorum consilio, Beatos Ioannem Antonium Farina, Cyriacum Eliam Chavara a Sacra Familia, Ludovicum a Casaurea, Nicolaum a Longobardis, Euphrasiam a Sacro Corde et Amatium Ronconi Sanctos esse decernimus et definimus, ac Sanctorum Catalogo adscribimus, statuentes eos in universa Ecclesia inter Sanctos pia devotione recoli debere. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Sicut quidem Dominus Iesus affirmavit, pauperes semper habemus nobiscum (cfr *Io* 12, 8) atque in eis Christo occurrimus, ministramus nostramque demonstramus sinceram caritatem. Hic autem sanctus, qui etiam Romae diu moratus est ac diligenter semper omnes iuvit indigentes, quique non humana scientia, sed potius humilitate, religiosa oboedientia, austera paenitentia, divinitus ei data sapientia pauperiorumque eximia effulsit dilectione, nobis excellens exemplum offert christianae dispositionis.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die tertio et vicesimo mensis Novembris, anno Domini bis millesimo quarto decimo, Pontificatus Nostri secundo.

EGO FRANCISCUS
Catholicae Ecclesiae Episcopus

Marcellus Rossetti, *Proton. Apost.*

*AAS, vol. CVII (2015), n. 12, pp. 1240-1242.